

1597 febre correptus , paucos intra dies excessit e vita , summo omnium civitatis ordinum , ac præsertim Jadertinorum atque Illyricorum moerore , qui cuncta sibi ab ejus virtute ac fortitudine prospera pollicebantur . Ei statim Joannes Bembus , legatus in Cretam designatus , est suffectus ; qui licet lege ad ineundum magistratum ob Cretæ legationem cogi non posset ; attamen suam operam Reipublicæ navaturum amplissimis verbis pollicitus , postridie in provinciam proficiscitur ; classem firmat ; acrius hostes obsidet , urget , insequitur .

Inde cum Venetos , reliquis omnibus posthabitis , tota
damna injuriasque vindicatuos fama esset ; Cæsar Franciscum Vendramenum , Reipublicæ legatum , ad se vocat ; quanta ex iis , quæ nuper acciderant , molestia affectus fuerit significat ; satis Reipublicæ facere cupientem , temporum conditione impeditum : Senatui scribat ; veteri assuetaque prudentia utatur ; quot curis ob turcum bellum distineatur , secum reputet ; hæc ab humani generis hoste zizania dispergi , ut communis christianæ reipublicæ bono obsistat , arbitrari : verumtamen prædam negotiatoribus restitui , incommodis obviam iri quacumque ratione curaturum . Legatus , quæ Senatus molliatur , necessitate ductum facere ; non præclaros ejus ad gloriam impetus retardare , aut quidquam de sua in eum observantia ademptum iri velle ; subjectorum tantum fortunas , res , vitam , quorum illi Deus Optimus Maximus curam commiserit (ut Principes justos decet) tueri ; eoque tantum Patrum consilia spectare . Clemens quoque justam Senatus iram sedare nititur ; æquam Reipublicæ causam esse ; sed aliis præsenti malo remediis obstantum ; in Cretam aliasque orientis insulas amandari illius gentis manum , vel aliquid ejusmodi fieri oportere : Austriacam omnem familiam Patres ne lacefferent ; Cæsarem armatum Pannonicum bellum brevi conficere posse : non armis , sed consilio experientur , hortari . Ad ea legatus , Venetorum patientiam , assidua damna commemorat ; saepius a Cæsare , ut averteret ea , petitum ; cunctando tempus extractum . Quis patiatur , navigia in Reipublicæ portibus magno vectigalium detimento intercipi , spoliari , diripi ? non in Austriacos hos conatus , sed in humani generis pestem dirigi . Eodem tempore Rodulphum Pontifex hortatur , labentibus in ea regione rebus opem ferat;

neve

Hermolai
Theupoli
obitus .

Joannes
Bembus in
Illyrico le-
gatus .

Rodulphi
Cæsaris et
Veneto ora-
tore de U-
scobis ser-
mo .

Clemens
Pontif. de
Uscobis
cum Sena-
tu agit .